

## PARS QUARTA.

DE OFFICIO DIVINO A CAPITULO PERAGENDO.

### CAPUT XXV.

DE OBLIGATIONE OFFICII DIVINI.

#### § 1. *In ecclesia cathedrali officium divinum fieri debet.*

Episcopum cum suo clero primis Ecclesie sæculis officium publice peregrisse, docet historia. Hanc consuetudinem duodecimo adhuc sæculo extitisse, testatur martyr S. Thomæ Cantuariensis, qui anno 1171, dum in templo vespertinis horis operam dabat, ut legitur in VI lectione officii ejus, gloriosam mortem obiit.

His prætermittis, quæ ad historiam pertinent, probatur in ecclesiis cathedralibus, metropolitanis et similibus existere obligationem officii divini seu horarum canonicarum: 1º ex consuetudine officium canonicum in cathedralibus faciendi, quæ a primis Ecclesie sæculis existit, semper viguit, et etiamnum viget in cathedralibus, in quibus capitulum habetur. In his omnibus fit officium, non ex devotione neque ad libitum, sicut in aliis ecclesiis sæpius fieri solet, sed ex obligatione, quatenus ipsa ecclesia cathedralis exigit, ut ibidem saltem officium fiat, prout Ecclesia alicubi faciendum præscribit. Officium divinum ab initio Ecclesie diversis temporibus mutationes quidem subiit, sed quale omni tempore fuerit, ita in cathedralibus semper factum fuit. Licet igitur nulla lex scripta existeret, hæc tamen ipsa consuetudo satis probaret obli-

gationem officium divinum celebrandi in ecclesiis cathedralibus. 2º Ex jure canonico Dist. 92, can. IX: *Si quis presbyter, aut diaconus, vel quilibet clericus ecclesie deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco, in quo ecclesia est, et ad quotidianum psallendi officium matutinis vel vespertinis horis ad ecclesiam non convenerit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionem noluerit promereri.* Clementin. lib. III, tit. XIV, can. 1. *Gravi: Sancimus, ut in cathedralibus, regularibus et collegiatis ecclesiis horis debitis devote psallatur: in aliis vero convenienter et debite celebretur divinum diurnum et nocturnum officium, si Dei et Apostolicæ Sedis indignationem evitare voluerint, sollicitam curent diligentiam adhibere: contradictores censuram ecclesiasticam (dummodo ad eos illam exercere pertineat) aliisque opportunis remediis compescendo.* Ex Concilio Tridentino sess. XXIV, c. XII de reform. ubi canonicis ecclesiarum cathedralium præscribitur, ut omnes divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, adsistere et inservire; atque in choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare. Hoc ut liquet, aliud significare non potest, quam in choro psallere seu officium divinum facere, sicut oportet.

#### § 2. *Obligatio ecclesiarum cathedralium ad integrum quotidie officium divinum in choro recitandum.*

I. Sancitum est constanti ecclesie disciplina, capitula ecclesiarum, præsertim cathedralium, ad integrum quotidie officium divinum in choro recitandum teneri (1).

Sicut etiam sancitum est Clement. lib. III, tit. XIV, de celeb. Miss. c. 1. *Gravi* (2), in cathedralibus horis debitis devote esse psallendum, et divinum diurnum et nocturnum officium debite celebrandum: et, ut scribit Benedictus XIV (3), *haud ignota est obligatio, qua canonici, aliique ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium et Collegiatarum ad quotidie horas canonicas in choro cantandas tenentur.*

(1) Ita in Actis S. Sedis. vol X, fol. 430; Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 299, n. 110; De Angelis lib. III, tit. 41, n. VIII.

(2) § præc. allat.

(3) Constit. Annus, 19 Feb. 1749, § 2.

Idipsum probatur ex perpetua praxi Sacræ Concilii Congregationis, quæ ad hanc constantem Ecclesiæ disciplinam universalemque consuetudinem ubique ac semper provocare, ejusque fidelem ac sedulam observantiam urgere voluit, quotiescumque hac de re agere aut respondere contigerit, ut videre licet in *Burgen.* in 1573, in *Hieracen.* 12 Mart. 1660, in *Grossetan.* 22 Nov. 1856 (1); in *Mexicana, servitii chori* 9 Junii 1855, § *Argumentum*, juxta quod, spectato jure communi, præceptum obligat omnes ecclesias cathedrales et collegiatas, ad recitandas omnes horas canonicas in choro (2); *S. Hippolyti, servitii chori* 23 Januarii 1864, ubi ad dubium, an canonici cathedralis ecclesiæ S. Hippolyti teneantur quotidie integras horas canonicas in choro persolvere, missamque conventualem pro benefactoribus applicare? Sacra Congregatio respondit: *Affirmative in omnibus.*

II. Hæc obligatio per se levis censenda non est: si enim gravis detur obligatio, in particulari recitandi integrum officium divinum; et obligatio in choro recitandi officium, quidem gravior vel saltem æque gravis censeatur, quam in particulari, ut communiter admittitur: sequitur etiam admittendum esse, obligationem in choro dicendi integrum officium, non levem, sed gravem per se habendam esse (3).

“ Unde nec aeris inclementia, nec redituum immunitio, nec ipsa centenaria memorabilis consuetudo excusare potest canonicos, præsertim cathedralis ecclesiæ, ne integre recitent horas canonicas, ac potissimum matutinum cum laudibus ” (4).

III. Obligatio recitandi divinum officium in choro, incumbit toti communitati seu capitulo: ita tamen ut primario et ex officio incumbat Prælato seu Superiori, qui peccabit graviter, si ex ejus culpa officium vel omittatur, vel notabiliter negligatur, vel etiam indebite persolvatur; et secundo incumbat subditis, qui, deficiente suo munere Superiore, etiam peccabunt mortaliter, si ex eorum negligentia divinum officium prætermittatur, aut indebite persolvatur (5). Unde juxta S. Alphonsum de Ligorio (6) Episcopi tenentur invigilare, ut officium a canonicis in choro persolvatur.

(1) In actis S. Sedis loco cit.

(2) Apud Pallottini, *Canonici*, § V. n. 4.

(3) S. Alph. de Ligorio, theol. mor. lib. 4, n. 143, not. 3.

(4) Ita apud Pallottini, *Canonici*, § VII, n. 357.

(5) Ita communis juxta Lucium Ferrarem, *Officium divinum* art. 1, n. 42 et 43; S. Alph. de Ligorio, theol. mor. lib. 4, n. 143, not. 2.

(6) Loco cit.

§ 3. *Canonicorum obligatio assistendi quotidie integro officio divino in choro.*

I. Universalis lex Ecclesiæ est, singulos canonicos obligari ad singulas horas canonicas in choro psallendas (1), ita ut canonici vi muneris sui omnibus divini officii horis, quæ sunt septem, interesse teneantur (2). Cum igitur a S. C. C. quæreretur, an canonici tempore quadragesimali completorio interesse deberent, etsi non solerent, ipsa respondere censuit, *capitulum teneri* (3). Unde Episcopi in relationibus de statu ecclesiarum exponere debent “ an ” canonici, cæterique choro addicti cathedralis, metropolitanæ, aut “ patriarchalis ecclesiæ, choro jugiter intersint ” (4).

Hæc singularis canonicorum obligatio sequitur ex obligatione quotidie in choro dicendi integrum officium, de qua actum est § præced.; alias enim, ut scribit Benedictus XIV (5), “ hoc facile absurdum consequi posset, ut non integrum divinum officium quotidie in choro recitaretur; cum vix sperandum videatur, ut, abeuntibus e choro aliquibus ex iis, qui ad has, vel illas horas canonicas teneri se non putant, alii semper inveniantur, qui ex peculiaris pietatis instinctu, nullo licet præcepto adstringi se existiment, easdem tamen in choro recitaturi remaneant: idcirco nunquam hujusmodi canonicorum intentioni suffragata sunt Apostolicae Sedis judicia; quin imo eorum Episcoporum zelus maxime commendatus est, qui se canonicis id contendentibus opposuerunt. ”

Idipsum probat idem Benedictus XIV, Instit. 107, § 1: “ Quid officii divini nomine intelligatur satis percipitur ex cap. *Presbyter* (6), ubi hæc habentur: *Si Matutini* (id laudes etiam complectitur) *Primæ, Tertie, Sextæ, Nonæ, Vesperæ et completorii tempore nostræ servitutis officia persolvamus.* Canonici idem facere jubentur, hoc solum interposito discrimine, quod alii clerici quocumque in loco persolvere divinum officium possint; canonici vero, ut cæteri omnes, qui addicti sunt ecclesiæ cathedrali, aut

(1) Acta S. Sedis, vol. IV, fol. 263, et vol. VIII, fol. 331.

(2) Acta S. Sedis, vol. X, fol. 434, I.

(3) 19 Maji 1877, Acta S. Sedis ibidem.

(4) A. Lucidi de Visit. SS. Lim. vol. 1, fol. 244.

(5) De Syn. lib. XIII, cap. IX, n. XIII.

(6) Decretal. lib. III, tit. 41, c. 1.

aliis collegiatis, ad chorum convenire, et in suis ecclesiis idem officium recitare omnino debeant. Equidem *can. ult. distinct. 92*, apertissime decernitur, sacerdotem, diaconum aliosque clericos alicui ecclesiæ adscriptos, si in civitate versantur, aut quocumque loco, ubi ipsa ecclesia posita est, ea lege teneri, ut quotidie divinum officium in illa celebrent; si quis autem hæc jussa facere neglexerit et monitus ab Episcopo, non paruerit, deponendus judicatur. Porro dubitandum non est, quin hæc lex cathedrales et collegiatis ecclesias comprehendat, uti colligitur ex *Clementina prima de celebratione Missarum*, ubi hæc traduntur: *In cathedralibus aut collegiatis ecclesiis.* »

Neminem latet, canonicos omnes onere adstringi, ut quotidie choro intersint, quin ullum extet certum vacationum tempus, ex canonum jure præfinitum (1). Sacrosancta quidem Synodus Tridentina, ad doctrinam legis constabiliendam, et corruptelas exterminandas, intra tres menses vacationem toleravit, longiorem proscripsit, ac legem generalem in sessione 24, cap. 12 de reform. edixit, salvis ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt. Apertum autem est, quod Concilium in hoc decreto expresse non permittat vacationes, sed longiores quam trium mensium interdicit, et breviores, quæ ex statuto ecclesiæ obtinent, servandas decernat: nam Tridentini Patres id decernentes, non processerunt concedendo, sed prohibendo ne ultra tres menses quolibet anno abesse liceat (2). Ita similiter censet Benedictus XIV (3) dicens « haud impertiri canonicis trium mensium vacationem, sed tantum constitui, ne vacationes ejusmodi spatium trium mensium superarent. » Nequaquam Concilium decrevit, unicuique canonico coram Deo licitum ac liberum esse, toto tempore intra litem trium mensium comprehenso a divinis se absentare, sed cujusque conscientiæ considerandum reliquit, num justam ad id causam habeat. Sicuti dum Episcopis unius trimestris absentiam indulset, ipsorum conscientiæ, quam sperabat religiosam et timoratam fore, attendendum reliquit, ut non aliter quam *id æqua ex causa fiat* (4).

(1) S. C. C. 24 Nov. 1832, in *Florentina, Vacationem § Hisce*, apud Pallottini *Canonici* § IX, n. 1, Fagnanus in I, p. III Decretal. De cleric. non resid. c. *Ad audientiam*, n. 14.

(2) Pallottini loco cit. n. 3 et 4.

(3) Instit. 107, § XVI.

(4) Sess. 23, cap. 1 de reform.

II. Hinc sequitur canonicos muneri suo integre non satisfacere, si officio divino semel in dies intersint. Licet enim talis frequentatio canonicis hodie in plerisque locis sufficiat ad hoc, ut præbendarum suarum fructus integre percipiant; certum tamen est illam nequaquam ad hoc sufficere, ut suam coram Deo et Ecclesia obligationem integre exolvant (1).

Sequitur similiter, illos decipi, qui sufficienter se interfuisse autumant, dummodo interfuerint uni notabili officii parti v. g. si matutino absoluto egrediantur, laudibus neglectis; si cantata missa discedant, prætermis minoribus horis, quæ ante et post eam dicuntur; si post vespervas abeant, relicto completorio. Sicut enim jam probatum est, canonicos ad integrum officium divinum in choro persolvendum adstringi; sic etiam probatum est, eosdem ad singulas, tam minores quam majores, horas obligari (2).

III. Ut canonici igitur absentes excusentur, justa semper causa requiritur. Ad absentiam brevis temporis gravis certe causa non exigitur, nisi absentia forte causa foret, cur officium in choro ommitteretur. Ad quamcumque tamen absentiam, etiam ab una hora, honesta ratio sufficere potest, sed etiam requiritur, ut excusare valeat. Cæterum quanto absentia brevior ac rarior est, tanto etiam minoris momenti causa ad aliquem coram Deo excusandum sufficit. Quanto autem absentia est frequentior et diuturnior, tanto quoque causa excusans gravior sit, oportet (3).

#### § 4. De causis excusantibus a dicendo integro officio divino in choro.

Prænotandum est, hic tantum agi de causis excusantibus canonicos a continua frequentatione aliquarum horarum, vel etiam ab omissione officii vel partis ejus in choro; non vero de causis excusantibus a frequentando aliquando officio, de quibus dictum jam est § præcedente, neque de causis quæ excusant pœnitentiarium, theologum aliosque particulares canonicos, de quibus propriis locis agitur, et de quibus præcipue agitur ubi de distributionibus.

I. Indultum seu beneplacitum Apostolicum solum excusat, non

(1) W. Wildt, *Officium sive obligatio canonici*, cap. VII, § 6.

(2) W. Wildt ibidem.

(3) Vid. S. Alph. de Ligorio theol. mor. lib. 3, n. 675, dub. 1.